



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 8. Athanasius Patriacha Constantinopolitanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

§. VIII.

*Athanasius Patriarcha Constantino-
polititanus.*

*Gregor. l. 6.
c. 5.*

*Pachym.
c. 14.*

Is erat homo magnæ virtutis, sed sine litteris, sine usu rerum civilium, a puero laboribus monasticis, jejuniis, vigiliis, humi cubando, secessibus specubusque montanis assuetus. Et vero ab ingressu muneris antecessoribus suis longe dissimilem se præstabat. Per plateas pedibus ibat; gestabat vestem asperam, & soleas rudes sua factas manu; & in simplicitate summa vivebat. Sed ut erat durus erga se ipsum, sic ei deerat humanitas & indulgentia erga alios. Hæc contra eum vituperia proferebantur tunc, cum Imperator de illo eligendo deliberaret: & idem ille in argumentum crudelitatis suæ dicebatur oculos eruisse asino horti monastici herbas depascenti. Alii vero miracula ei tribuentes ajebant eum quodam die collectis herbis onerasse lupum obvium, & portare has in coenobium jussisse. Sed rescitum est postea paruisse hominem Lupum nomine. Nihilominus Imperator libratis bonis malisque de Athanasio dictis, illa præponderare judicans eum creare Patriarcham statuit.

Decla-

Declaravit eum publice in majore palatio 14 Oct. an. 1289: & inde Athanasius pedes ad S. Sophiæ transiit; ubi paulo post fuit inauguratus. Hanc inter, ceremoniam acciderunt levia quædam, quæ Græcorum superstitio accepit in ostenta & omina, Athanasium de sede sua antecessorum instar depulsum iri portendentia. Inter alia observatum est tunc, cum Evangelium pro more collo ejus impositum esset, verba, quæ liber apertus offerebat legenda, execrationes fuisse; ac versis aliquot foliis, nihil melius esse oculis ojectum. Accivit brevi ad se monachos externos, qui austeri nimium videbantur monachis Constantinopolitanis, quos arguebant, quod disciplinæ frena laxarent, duplex quavis hebdomade jejunium non colerent duabus fruendo refectioibus, vino, oleo, condimentis uterentur; verbo: se alerent, ut homines profani; aliqui etiam pecunias haberent. Patriarchæ socii tam curiose indagabant hæc errata omnia, & tam severe puniebant, ut disciplinæ amantissimi non se tutos crederent. Patriarcha Gregorius Cyprius haud multo post obiit ex diuturno morbo; &, ut aliqui perhibebant, ex dolore, quod se contemptum cerneret: vetuitque Imperator, ne humaretur ut Episcopus.

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

c. 15.

c. 16.

c. 19.

§. IX.